

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum  
in primis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

XXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](#)

quæ de tertio Symboli Apostolici articulo agit, iisdem fere verbis  
repetiuntur.

XXXIII. Addimus ex Academiâ Salanâ excellentissimæ eruditio-  
nis Virum, Johannem Musæum, qui in Locis Theol. ad ca-  
lam pro lectione dictatis, ubi de pœnis infernalibus agit, sen-  
tentiam suam his verbis promit: *Ex parte voluntatis importat damnatio  
eterna, privativè considerata, carentiam amoris DEI & gaudii, quod in  
DEO habere deberent. Sicut enim DELIM damnati non cognoscunt, tanquam  
suum bonum, qualis in se est, sed tanquam judicem & scelerum vindicem se-  
verissimum: ideo nec amabunt DEUM, nec in ipso gaudebunt, sed potius odio  
ipsum habebunt maximo. Sicut enim pœnas, quas infligit damnatis, detesta-  
buntur: ita quoque ipsum DELIM infigentem odio habebunt.* Et ex Eber-  
hardinâ ad Nicrum virum accuratissimi judicii, Jo. Adamum Os-  
andrum, qui in Collegio, præcipuas fidei controversias comple-  
tente, art. XXI. §. 3. hanc format thesin: *Non probabile est, damna-  
tos in inferno semper peccare, in primis blasphemando.*

XXXIV. Vides, in hoc, non Pontificiorum tantum & Re-  
formatorum, sed & Augustinæ Confessioni additorum Theolo-  
gorum, diffensu, varias, easque adversâ inter se fronte pugnan-  
tes, agitari de propositâ quæstione opiniones. Quapropter eo te  
minori periculo implicabis, quamcumque defenderis sententiam.  
Et si ex tractatione argumétorum, huic illive parti faventium, sole  
meridiano clarius apparebit, quot quantaq; fidei nostræ capita, sive  
defensione sive oppugnatione unius alteriusq; sententiæ & argu-  
menti, etiam à non advertentibus, convellantur. Quæcausa  
quoque est, cur non otiosa aestimari controversiæ hujus discussio,  
sed referta variis gravissimisque usibus, jure meritoque debeat.

XXXV. Nam primò, nonnulli *πιστοί*, sententiam suspen-  
dunt, nihilque sive in ajentem sive in negantem partem determi-  
nant. Quo præter eos, qui *πιστοί* profitentur, referendos omnes  
illos esse censeo, qui, dum in locis, compendiisque Theologicis,  
de infernalibus pœnis tractant, considerationem hujus quæstionis  
prætereunt, contenti generali vel certe Scripturariâ, (ut nunc ita  
appellem id, quod Sacrae Pandectæ expressis verbis efferunt) cru-  
ciatum istorum delineatione. Quibus ut litem nullam move-  
mus: ita nec nobis vitio dari posse existimamus, si inquiramus in

id, quod Divinæ literæ virtute saltem & potestate complectuntur. Ejusdem enim valoris esse, quæ litera Scripturæ & sensus per liquidissimas consequentias elicitus, enunciant, ex inductione plurimorum fidei articulorum & praxi Christi atque Apostolorum evidenter constat. Origenes ad locum illum; *nesciis scripturæ*, annotat: *Sufficit ad arguendum errorem Sadduceorum, quod nesciebant Mosaicæ legis Scripturas, ex eo, quod divinum sensum earum, (quem Scholastici revelationem virtualem vocant) non scrutabantur.* Tract. XXII, in Matth. p. 110.

XXXVI. Secundò, alii peccati labi infectos esse damnatos, sed habituali tantum, cuiusmodi Augustinus malam voluntatem vocat, non actuali censem. Sententiam horum luculenter expressit Bonaventura. Arbitrantur enim pœnarum atrocitate fieri, ne in actum erumpere vitiosum peccandi desiderium possit. Secundum hos neque murmurare damnati adversus DEUM, neque blasphemare justitiam ejus valebunt, sed pœnarum vinculis constricti neque explicare in sceleratos actus membra sua poterunt, neque volent etiam, ob vim cruciatum perpetuo duraturam.

XXXVII. Tertiò: Suni, qui ne habituali peccatum quidem in damnatis esse statuant. Omnia clarissime, quantum mihi constat, hoc ex Sanfordo afferit Robertus Parkerus: *At peccare, inquietas, damnati possunt, et si agere non possunt, habitu nimis & voluntate, et si in actum prorumpere ille habitus nequeat. Negare videtur Bonaventura, voluntatem in damnatis peccandi ullam esse.* Id quod & S. Literarum & Doctorum Ecclesiasticorum auctoritate probare annuitur. Quā de re suo loco judicabimus.

XXXIX. Quartò: In alterum extremum præcipites labuntur alii, qui nefanda sclera & flagitia, velut odium Dei, blasphemiam, invidiam, impatientiam, cæteraque ejus generis, damnatis non attribuunt duntaxat, sed argumentis propugnant; nihilominus tamen veri generis peccata hæc talia in damnatis esse negant. Albertus Magnus dist. L. lib. IV. art. I. probat, *damnatos homines vel animis non peccare in inferno;* Art. II. idem de dæmonibus profitetur: & tamen art. VI. rationibus disputat, *quod damnati & dæmones odiant DEum, non quidem, quatenus DEus absolute consideratur, sed tamen, quā consideratur pro justitiâ, judicante pro meritis.* Videri posset haec